

phlebotomia eorum est difficilis. Et in eorum solutione ventris est timor ; fortasse enim movebit humores eorum, & non erit possibile, ut penetrent in venas, redeundo propter coarctationem earum ; quare fortasse ducet ad perditionem illud. Si autem faciunt aliquid, infirmat eos ; quoniam calor eorum innatus est debilis, quoniam ejus locus est strictus &c. Hactenus Avicennæ verba, quæ propterea huc transcribere voluimus, quia continua serie neminem fere vidimus melius obesitatis conditiones annotare quàm eundem. *Thom. Fienus in Simiomatices part. 2. c. 2. p. 147.* de nonnullis recensitis symptomatibus loquens, rationes illorum ibi annectit. Dicit etiam autor præter adducta illa incommoda calorem nativum imminui, humores non ventilatos putrescere & obesos à vesicæ calculo persectionem ægrè liberari &c.

Porro obnoxii crebrius sunt obesi variis catarrhalibus affectibus à sero oriundis, colicæ, singultui, cephalalgia, aurium ac dentium doloribus & malis aliis, erysipelati item, vel inflammationibus variis, ulceribus diuturnis, tussi, ardori ventriculi &c. De nonnullis antea memoratis affectibus jam sigillatim adhuc dispiciemus, cum ex eorundem consideratione non nihil lucis vel commodi in doctrinam vel cognitionem & curationem obesitatis redundare posse arbitremur.

Corporis verò difficilis motus vel immobilitas facile oritur ab obesitate excedente, cujus causa in promptu est : infarcit quippe pingvedo ut plurimum omnes artus & partes molles motui destinatas, unde muscoli non promptè cedunt pro motu absolvendo ; articuli etiam ideò non facile flectuntur, quia cutis & tendines pariter ob dictam illam remoram non possunt adeò parere motui. Atque sic ii, quibus obesitas & hujus contrahendæ studium voluptarium est, sibi quasi Paralyfin, carcerem aut compedes spontaneas accersunt. Quod de lassitudine spontanea effatur *Hippocrates 2. Aph: 5.* scilicet spontaneas lassitudines morbos denunciare : id de obesis haud difficulter dici potest ; immobilitas enim corporis, torpor, proclivitas in somnum aliaq; plura spiritus minùs alacres arguunt, & sæpe majora mala, scilicet Apoplexiam, Paralyfin veram & alia